

ignis flammam aridis lignis aliisque materiis ad cremandum præ cæteris aptis. Imò horrenda istorum temporum diritas eò processit fastigii, ut non modò eqvos, canes, aliaq; à defuncto ætatem adhuc agente animalia quàm maximè dilecta igni immiserint, sed seipso in super acerbissimum forsitan secus haud lenire valentes dolorem, in flammam dederint præcipites. Præ hæc hujus consuetudinis Tyrannis Græcos præprimis & Æthiopes teste *Alexandro ab Alex. lib. 3. Gen. dier. c. 7.* tenuit, quâ Regis sui, humanis subtracti rebus, mortem, impensius deplorari haud posse putabant, quam si conjunctissimi Regis priorum Carnifices effecti corporum, apertissimum condolentiæ suæ dederint indicium. Nec minus ab illâ agitati Galli, qui servos Clientesq; tantò Dominis Patronisque obstrictos existimârunt obsequio, ut unâ cum hisce defunctis eadem pyrâ vitam cum morte permutare necesse habuerint.

II. Pestifera tandem hæc consuetudo tam altè penetravit, ut præter alias Gentes, quæ, nescio quò colore, eam irrumperere sunt passæ, in victrice etiam rerum Gentiumq; Republ. Romanâ non exiguas pededentim egerit radices. Quamvis enim ab ortu Urbis prævis illis reliquarum Gentium moribus viriliter oblucentes Romani, hominum cadavera non cremare, sed humo injecta contegere consuevêre. Argumentò ab eo deductò, quod Numæ Pompilii corpus in arcâ lapideâ post multa secula à Cneo Terentio in Janiculo inventum, antiquissimarum Scriptorum historiarum literis consignârunt. Quibus suffragari videtur *Cicero l. 2. de LL. Mihi quidem, inquit, antiquissimum sepulturae genus id fuisse videtur, quò apud Xenophontem Cyrus utitur, redditur enim terra corpus, & ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur. Eodemq; ritu in eo sepulchro, quod procul ad fontis aras, regem nostrum Numam conditum accepimus, gentemq; Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepulturâ scimus esse humatam.* Ferventibus tamen deinceps omnibus circum circa belli cladibus, mores etiam in deterius ire cœperunt. Mortuorum ex hinc